

quod si verum
est, prima
questio magis
videtur esse de
voce.

Hinc videtur esse magis dissidium de voce inter eos qui affirmant, et inter eos qui negant hanc definitionem esse descriptivam. Qui negant, ideo videntur negare, quia hoc quod est *primum principium esse* vitalium operationum, pertinet, ad ipsam essentiam animæ, ratio enim essentiae ac naturæ re identificatur. Unde inquirunt, licet definitio certissime foret descriptiva, si desumeretur ex actualibus operationibus vitæ, utpote quæ sunt effectus naturæ seu principii vitalis; quoniam vero petitur ex ipsa ratione naturæ ac primi et radicalis principii vitalium operationum, habendam esse pro essentiali. Alii vero reponunt haberi non posse pro pure essentiali, sed potius pro descriptiva, quia non declarat animam per id, quod in ipsa simpliciter ut primum concipitur, sed magis per id quod rationem exhibet quasi proprietatis cujusdam. Sed hactenus de his (1).

Secunda defal-
tio allata fuit ab
Aristotele ad
probationem
prioris.

Cæterum secundam hanc definitionem adduxit Philosophus tamquam prioris demonstrationem. Et recte quidem, cum enim demonstratio afferatur ad notificandam rem ex notioribus quoad nos; oportet, procedat ad notiora: in rebus autem naturalibus, utpote quæ sensibus subjacent, effectus ipsi generatim notiores nobis sunt, quam eorum causæ vel essentiae. Cum itaque altera hæc definitio animam explicet per ordinem ad operationes vitales, quæ nulli non innotescunt, egregie ostendit primam definitionem, quæ intimam essentiam animæ intendit enucleare (2). Demonstratio porro sic proponi potest. Primum principium quo vivimus, sentimus, loco movemur, et intelligimus, est actus primus corporis, physici, organici. Atqui anima est primum principium, quo vivimus, sentimus, loco movemur et intelligimus. Ergo anima est actus primus corporis physici organici (3).

At controvertitur etiam, quodnam sit hoc genus demonstrationis; et res videtur decernenda ex nuper dictis. Sicut enim secunda illa definitio est a posteriori facta, ita etiam demonstratio exinde derivata simpliciter a posteriori videtur

(1) Lege, si vis, Suarezium, loc. cit. n. 13, 21. Cr. Complutenses et Joann. a S. Thoma.

(2) Vide S. Thom., 2.^a de Anim., lect. 3 initio.

(3) Vide Arist., 1.^a de Anim., cap. 2, et ib. S. Th., lect. 3.

dicenda (1). Sunt nihilominus, qui respectu habito ad existentiam et productionem ipsam animæ, putent hanc demonstrationem peti ex *causa finali*, ac proinde fieri a priori. Quia nimirum in intentione Creatoris prius est, tamquam finis, operatio vitalis, quam ipsa substantia animæ, quatenus ideo talem producere vult formam, quia vult tales operationes a composito animato habere (2).

CAPUT III.

DE ACCIDENTALI VITÆ

PRINCIPIO SEU DE POTENTIIS VITALIBUS.

Ostendimus in capite præcedenti existentiam et naturam primi ac radicalis vitæ principii, seu animæ; nunc videndum est, utrum ejusmodi principium indigeat ad actus vitales eliciendos principiis quibusdam accidentalibus vel potentiis naturalibus, et quidnam de illarum ratione ac varietate sit sentiendum. Quamquam enim in *Cosmologia* demonstratum reliquimus corpora, generatim inspecta, qualitatibus instrui realiter ab eorum substantia distinctis, quarum ope suas exercent operationes (3), rei tamen hujusce momentum tantum est, ut nobis generali illa tractatione contentis esse non liceat, sed inquirere necesse sit, num doctrina illa etiam in viventibus locum habeat respectu propriarum suarum operationum.

ARTICULUS I.

Utrum insint animæ potentiæ realiter distinctæ ad vitales operationes exercendas,

38. Ut clarius in hac controversia procedamus, illud ante omnia præ oculis habere oportet, anima informari totum

Statu
questionis.

(1) Suar., loc. cit. cap. 3, num. 21. Cfr. Complutenses, loc. cit.

(2) Vide id fuse declarantem Suarez, ib. num. 23, 24. Cfr. Conimbr., ib. concl. 3.^a; Tolet., lib. 2 de Anima, quest. 3.

(3) *Cosmolog.*, num. 337, pag. 1135 seqq.

corpus viventis, in quo efficiuntur vitales functiones vegetationis ac multiplicis sensationis. Quare cum investigatur existentia potentiarum realiter distinctarum, nomine potentiae intelligi posset vel totum compositum ex organo materiali et anima vel animae virtute, organum informante, v. g. totus oculus, aut manus, etc., vel solum virtus quaedam animae residens in organo. Et controversia haec non agitur in primo sensu; nam sive virtus vitalis animae ab ipsa ejus substantia distincta agnoscatur sive non, in primo illo sensu nemo posset negare potentias ab anima realiter distingui, distinctione videlicet inadæquata; licet enim anima per suam substantiam immediate operaretur in organismo, semper verum foret complexum partis materialis et animae virtutis, v. g. totum oculum vel manum, realiter inadæquate distingui ab anima, siquidem in illo complexu est aliquid amplius præter animam virtutemve illius. Controversia ergo agitur in altero sensu, in quo potentiae nomine intelligatur virtus animae ab organismo contradistincta: et ita quaerimus, utrum virtus vitalis sit ipsa animae substantia, an vero anima vitaliter operetur ope virtutis alicujus accidentariae ab ipsius natura vel essentia manantis. Qua de re non una est auctorum sententia. Prima tenet potentias animae ab ejus substantia vel essentia non distingui realiter, sed ut summum sola ratione. Ita opinati sunt Nominales, Gregorius, Gabriel Biel, Ockam, Marsilius alique (1), quibus postea adhæserunt Hurtadus (2), Arriaga (3), Rhodus (4), Compton (5), Oviedo (6), Semery (7), De Benedictis (8), Antonius Mayr (9), et alii tum veteres tum recentiores: ex quibus nonnulli ne rationis quidem videntur admisisse distinctionem. Secunda opinio

Variae
sententiae:
prima,

secunda,

- (1) Apud Toletum (*de Anim.*, lib. 2, quaest. 9), Rubium (*ibid.* quaest. 1), Conimbricensis (*ibid.* cap. 3, quaest. 4, art. 1), etc.
- (2) *De Anim.*, disp. 4, sect. 4.
- (3) *De Anim.*, disp. 5, sect. 3.
- (4) *Philos. perip.*, disp. 15, quaest. 3, sect. 1.
- (5) *De Anim.*, disp. 12, sect. 1.
- (6) *De Anim.*, controv. 3, punct. 2, num. 8.
- (7) *De Anim.*, disp. 1, quaest. 8.
- (8) *Philos. perip.*, tom. 3, lib. 8, quaest. 1, cap. 11.
- (9) *Philos. peripat.* part. 4.^a num. 214.

est Scotistarum potentias ab anima distinguuntur formaliter ex natura rei, seu ante omnem mentis considerationem, licet illas velint re identificatas cum animae substantia (1): nimirum Scotistae etiam hic suam illam celebrem distinctionem invchere conantur. Scotistis a quibusdam accensetur S. Bonaventura (2), quamvis alii Doctorem Seraphicum eandem cum Durando sententiam, de qua statim dicitur, tenuisse arbitrentur (3). Tertia est opinio S. Thomae (4), potentias omnes animae realiter distinguens tamquam reales proprietates ab essentia ejusdem dimanantes: quam doctrinam tuentur frequentissimi et gravissimi Doctores, Albertus M. (5), Halensis (6), Aegidius (7), Thomas Argentinus (8), Capreolus (9), Cajetanus (10), Javellus (11), Dominicus Soto (12), Bañez (13), Molina (14), Suarez (15), Vazquez (16), Cardin. Toletus (17), Valentia (18), Rubius (19), Conimbricensis (20), Fonseca (21), Sylvester Mauri (22),

tertia,

- (1) Vide v. g. Mastrium (*de Anim.*, disp. 2), Frassen (*de Anim.*, quaest. 3, conclus. 2.^a).
- (2) 1.^o dist. 3, part. 2.^a, art. 1, quaest. 3.
- (3) Cfr. Suarez, *de Anim.*, lib. 2, cap. 1, num. 2.
- (4) 1 p., quaest. 77, art. 1; *Q. disput.*, quaest. *de spirit. creat.*, art. 11; *de Anima*, art. 12; 1.^o dist. 3, quaest. 4, art. 2; *Quodlib.* 10, art. 5.
- (5) 1.^o dist. 3, art. ult.; lib. 2, *de Anim.* tract. 1, cap. 11.
- (6) In 2.^a part. quaest. 77, art. 1.
- (7) *Quodlib.* 3, quaest. 10.
- (8) 2.^o dist. 3.
- (9) 1.^o dist. 3, quaest. 4, art. 2.
- (10) In 1.^o part., quaest. 54, art. 3, et quaest. 77, art. 1.
- (11) *De Anim.*, lib. 2, quaest. 10.
- (12) *Logic.* quaest. *de Proprio*.
- (13) In 1.^o part., quaest. 77, art. 1.
- (14) In 1.^o part., quaest. 54, art. 3.
- (15) *De Anim.*, lib. 2.^a, cap. 1; et *Metaphys.* disp. 18, sect. 3.
- (16) In 1.^o part., quaest. 54, art. 3, in commentario.
- (17) *De Anim.*, lib. 2, quaest. 9.
- (18) In 1.^o part., disp. 6, quaest. 3, punct. 2.
- (19) *Ibid.* lib. 2, cap. 3, tract. *de Potentis animae*, quaest. 1.
- (20) *Ibid.* cap. 3, quaest. 4, art. 2.
- (21) *Metaphys.* lib. 5, cap. 2, quaest. 6, sect. 5.
- (22) *Quaest. philos.*, lib. 4, quaest. 30.

quarta.

Notatur
quorundam
scriptorum de
hac re iudicia

Amicus (1), Lossada (2), Quiros (3), Cardin. Lugo (4), Soarez lusitanus (5), Cardin. Aguirre (6), Prado (7), Joannes a S. Thoma (8), Collegium Complutense S. Thomae (9), et communiter Thomistae, quibus adstipulantur nobiles Scholastici recentiores non pauci (10). Denique alia adjungenda est singularis Durandi sententia, qui existimavit potentias quidem vegetativas identificari, reliquas vero realiter distinguere ab anima (11).

Controversia hæc sententiarumque varietas ita refertur, ac judicatur a nonnullis recentioribus, ut doctrina realem distinctionem potentialium ab anima negans, tamquam periculosa et ad pantheismum adducens, diris omnibus debeat. Equidem nescio, quorsum spectent hujusmodi exaggerationes in re, quæ jam inde a S. Thoma liberrimè disputationi permissa tractat, ab hujusmodi censuris abstinere, contentus dicere diversas esse hac in re auctorum opiniones, sententiamque negentem rejicit simpliciter ut *impossibilem* (12). P. Gregorius de Valentia sic tractationem hujus quæstionis exorditur: «Tres præcipue sunt hæc de re sententiæ, quarum *qualibet est probabilis*». Idemque repetit post relatas tres illas opiniones: ac tandem solutis singillatim illarum fundamentis, ita concludit: «Nihilominus video sententiam illam postremam (reals distinctionis) D. Thomæ esse in scholis magis probatam; itaque mihi quoque magis

placet» (1). Toletus (2) post enarratas quinque opiniones circa distinctionem potentialium ab anima, sic pronuntiat: «Hæc sunt sententiæ doctissimorum hominum»: deinde proposita conclusione asserente realem distinctionem, subiungit: «Hæc argumentis quibusdam *probabilibus* probari solet, quæ mihi tamen videntur solvi posse; ideo adducam ea primo, ac solvam; postea alias duas, quas puto *probabiliores*, adferam rationes» (3). Conimbricenses hisce verbis controversiam aggrediuntur: «Magna est in hac quæstione sententiarum varietas; quas cum retulissent (4), suam tandem hoc temperatissimo modo enuntiant; «Amplectenda tamen est sententia D. Thomæ... et aliorum complurium» (5). Suarez sæpissime innuit, immo et discrete pronuntiat, hac in re nihil statui posse nisi cum majore aut minore probabilitate (6). Et simili modo loquuntur PP. Vazquez et Rubius, quorum postremus monet totam difficultatem esse in inveniendi ratione *aliqua efficaci*. Joannes vero a S. Thoma rem hanc tractat omnino ut libere controversam in scholis, contentusque est dicere sententiam S. Thomæ *communioem* esse (7). Denique ut alios omittam, Cardin. Lugo in manu scriptis *Quæstionibus de Anima*, quas Romæ vidi, sic disputationem hanc inchoat: «In hac re quot capita, tot sententiæ». Tum relatis quinque opinionibus, pergit: «Difficile sane est inter has sententias ferre iudicium; fere enim omnes sunt probabiles, seu (ut melius dixeris) tales, quas non facile possis probare vel improbare, ut constabit ex eorum fundamentis». Idemque repetit, cum post proposita solutaque illa fundamenta suam statuit sententiam. Et hæc in eum dumtaxat finem scripta sint, ut pateat omnibus, quam diversa fuerint summorum vivorum iudicia a iudiciis recentiorum quorundam, qui in re non omnino manifesta terroribus magis, quam rationibus, convincere velle animos studentium videntur.

(1) *Physic.* tract. 12 de causa efficiente, quæst. 10.

(2) *De Anim.*, disp. 4, cap. 3.

(3) *Curs. philos.*, disp. 83.

(4) *De Sacrament.* disp. 6, a num. 56.

(5) *De Anim.*, tract. 2, sect. 3.

(6) *Physiol.*, tom. 2, disp. 83.

(7) *De Anim.*, lib. 2, quæst. 13.

(8) *De Anim.*, quæst. 2, art. 2.

(9) *De Anim.*, lib. 2, quæst. 3.

(10) Ita v. g. Liberatore (*Psycholog.* num. 4), Mendive, (*Psycholog.* num. 32 seqq.), Sanseverino (*Philos. christ. cum antiq. et nova comparata. Dynamilogia*, pars gener., cap. 1, art. 1), Schiffini (*Principia Philosoph. Philosophia prima*, num. 635 seqq.), etc.

(11) 1.^a dist. 3, quæst. 2.

(12) Cfr. S. Thom. in locis supra citat.

(1) Valentia, In 1.^{am} par., loc. cit.

(2) *De Anima*, loc. cit.

(3) Cfr. idem Cardin. Toletus, In 1.^{am} part., quæst. 54, art. 2 et 3.

(4) *De Anima*, loc. cit., art. 1.

(5) *Ibid.*, art. 2.

(6) *De Anim.*, loc. cit.

(7) *De Anim.*, quæst. 2, art. 2, initio.

39. PROPOSITIO 1.^a Admittenda est distinctio saltem rationis inter animam ejusque potentias.

Admittenda est
distinctio
saltem rationis
inter animam
et potentias.

Probatur facile 1.^o Nam ea distinguuntur saltem ratione, quæ habent distinctum conceptum ac definitionem. Atqui «vitales potentiae, ut potentiae sunt, habent distinctam rationem et definitionem ab ipsa anima, in quantum anima est... Quia anima, ut anima est, essentialiter ordinatur ad corpus, potentiae vero ut potentiae essentialiter ad operationem» (1). 2.^o Potentia etiam in Deo ratione differt ab ejus substantia, ut nunc supponimus ex *Theologia*. Ergo a fortiori idem est dicendum de potentiis animæ nostræ. 3.^o Ipsæ potentiae saltem ratione distinguuntur inter se. Ergo et ab anima (2). Quæ probatio, quoniam mox ad realem distinctionem evincendam adhibebitur, multis hic dilatanda vel enucleanda non est. Sufficiat id solum notare, ex communi omnium sensu nec intelligi formaliter voluntate, nec amari intellectu, nec auribus videri, nec oculis audiri, etc. Si autem hæ potentiae inter sese ne ratione quidem distinguerentur, profecto recte diceretur formaliter voluntas intelligere, et intellectus amare, etc.

40. PROPOSITIO 2.^a Potentiæ vitales realiter distinguuntur ab anima; seu anima indiget ad vitales operationes eliciendas potentis accidentalibus realiter distinctis.

Defenditur
distinctio realis

Prob. 1.^o Actus et potentia sunt in eodem genere, si sermo sit de potentiis *per se primo* institutis et ordinatis ad aliquem actum. Atqui actus vitales animæ sunt accidentia. Ergo et potentiae ipsorum elicitivæ. Hæc est ratio, qua sæpe utitur S. Thomas (3).

Major declarata et probata manet in *Ontologia* (4); Minor vero constat, tum quia nulli rei creatæ idem est esse et

(1) Suarez, *de Anim.*, lib. 2, cap. 1, num. 4.

(2) Vide Suarez, loc. cit.

(3) Vide v. g. 1. p., quæst. 77, art. 1; Q. disp., quæst. *de Anim.*, art. 12; *de spir. creat.*, art. 11; 1.^o dist. 3, quæst. 4, art. 2.

(4) *Ontolog.*, num. 228, pag. 626 seqq.

operari (1), siquidem potest esse rei substantia, quin operetur; tum etiam quia saltem si nutritionem et generationem seponas, evidens est terminos reliquarum vitalium actionum esse formas accidentales.

Dices 1.^o Ratio hæc supponit, quod potentia substantialis nequeat *per se primo ordinari* ad actum accidentalem. Atqui hæc ratio falsa est. Nam omnis creatura rationalis per se primo ordinatur ad visionem beatificam tamquam ad ultimum finem; visio autem beatifica est actus accidentalis.

Respondeo 1.^o Ordinatio hæc non est naturalis, sed supernaturalis. 2.^o Creatura rationalis ordinatur ultimo ad visionem, *non ut quoad*, sed *ut quo* Deus ipse, qui solus est finis ultimus illius, possidendus est.

Dices 2.^o Potentiæ vegetativæ habent tandem pro termino aliquid substantiale. Ergo nihil repugnat, quin potius conveniens est, ut potentia vegetandi sit ipsa substantia corporis viventis.—Respondeo. Hinc solum sequi, quod hoc primum argumentum non sit satis idoneum ad concludendam saltem directe distinctionem potentialium vegetativarum: quæ tamen distinctio abunde colligitur ex sequentibus rationibus. Cæterum quamvis terminus actionum vegetativarum sit substantialis, sufficere potentias accidentales satque proportionatas esse, patet ex dictis in *Cosmologia* (2).

Prob. 2.^o Saltem potentiæ spirituales, quas modo supponimus, alibi probabimus dari, nempe intellectus et voluntas, re distinguuntur ab anima. Atqui si potentiæ spirituales re distinguuntur ab anima, idem a fortiori sentiendum est de non spiritualibus vel de organicis. Ergo...

Major probatur; quia ea realiter distinguuntur, quibus prædicata contradictoria conveniunt. Atqui ejusmodi sunt anima et potentiae. Nam anima omnis est actus vel forma substantialis materiæ; at potentiæ spirituales non sunt actus nec forma materiæ; esse autem actum et non esse actum materiæ contradictorie opponuntur. Minor etiam probatur; quia si potentiæ perfectiores sunt animæ accidentia, a fortiori erunt potentiæ minus perfectæ.

(1) Vide S. Thom., 1. p., quæst. 54, art. 2, et *de spir. creat.*, art. 11.

(2) *Cosmolog.*, num. 368, pag. 1236 seqq.

Prob. 3.^o Si potentiae identificarentur cum anima, non possent esse plures nec realiter diversae inter se. Atqui sunt plures ac diversae realiter inter se. Ergo non possunt identificari cum anima. Haec videtur esse vis illius rationis S. Thomae: *Essentia una est, in potentiis autem oportet ponere multitudinem propter diversitatem actuum et objectorum; oportet enim potentias secundum actus diversificari, cum potentia ad actum dicatur* (1).

Prob. Major. Cum enim quae sunt eadem uni tertio, sint etiam idem inter se; si anima et potentiae forent idem, haec quoque inter se deberent identificari. Si ergo non identificantur inter se, signum est, quod neque cum anima realiter identificentur.

Probatur etiam Minor. α) Potentiae specificantur, et distinguuntur per actus et objecta formalia. Atqui actus et formalia potentiarum objecta sunt distincta. Ergo et ipsae potentiae. β) Potentiae spirituales non sunt actus ullius organi, e converso potentiae organicae. Atqui nequit idem esse organicum et inorganicum. Ergo potentiae spirituales ab organicis realiter distinguuntur (2). Idemque confirmari potest ex pugna, quam experimur inter quasdam potentias, puta inter appetitum sensitivum et rationalem atque intellectum (3). Sed et organicae distinguuntur inter se, tum quia loco separantur, tum quia possunt aliae sine aliis existere. δ) Idem confirmatur ex modo diversissimo operandi et attingendi objectum, quem habent diversae potentiae, ut constat in cognoscitivis et appetitivis; nam cognoscitivae attingunt objectum apprehendendo et atrahendo illud ad se per intentionalem representationem; appetitivae autem contrario modo, se ferendo per impulsum quemdam aut pondus versus

(1) *Qq. disp.*, quaest. de spirit. creat., art. 11.

(2) *Idem apparet*, inquit S. Thomas ibidem, *ex potentiarum diversitate; quarum quaedam sunt quarundam partium corporis actus, ut omnes potentiae sensitivae et nutritivae partis, quaedam vero potentiae non sunt actus alicujus partis corporis, ut intellectus et voluntas. Quod non posset esse, si potentiae animae non essent alii, quam ejus essentia: non enim potest dici, quod unum et idem possit esse actus corporis et separatum, nisi secundum diversa.*

(3) S. Paulus, *Roman.* cap. 7, vers. 15 seqq.; *Galat.* cap. 5, vers. 17.

objectum. Et huc etiam revocari potest argumentum S. Thomae *ex ordine potentiarum animae et habitudine earum ad irascibilem derivatum. Invenitur enim quod una aliam moveat, sicut ratio irascibilem et concupiscibilem, et intellectus voluntatem. Quod esse non posset, si omnes potentiae animae essent ipsa animae essentia, quia idem secundum idem non movet seipsum, ut probat Philosophus* (1).

Dices posse animam per unum actum a se immediate et absque potentis superadditis elicitem seipsam movere ad alium actum elicendum sicut eadem voluntas per unum actum seipsam movet ad alium actum.—**Resp. neg. assertum.** Nam imperium voluntatis sibi per unum actum alios vel numero vel specie diversos proponens, longe diversum est ab imperio, quo voluntas actus aliarum potentiarum imperat; id quod nullibi melius elucet, quam ex imperio, quod appetitus rationalis exercet supra sensitivum reluctantem et recalcitrantem. Haec enim lucta et diversitas tanta est, ut nonnullos inducere potuerit ad fingendas in eodem homine duas animas re distinctas, sensitivam et intellectivam, a quibus procederent actus ac potentiae tam dissimiles.

Prob. 4.^o Virtutes naturales ac potentiae operativae corporibus generatim communes sunt qualitates realiter distinctae ab earum substantia. Ergo idem dicendum est de virtutibus peculiaribus viventium, ac proinde anima ita est primum vitae principium, ut egeat proximis vitalium operationum principii accidentalibus, seu potentiis realiter distinctis.

Antecedens in Cosmologia probatum est (2). **Consequentia** probatur argumento analogiae. Nam neque est ulla repugnantia in eo, quod ab anima potentiae hujusmodi vitales realiter distinctae profluunt instar proprietatum, et si quid obstat contra eas, aequè obstat contra potentias corporibus inorganicis communes, quae a propriis earum formis dimanant. Neque hactenus adduci potuit ratio, cur speciali quadam ratione repugnare dicendae sint potentiae vitales realiter distinctae. Quamvis enim anima sit perfectior formis inferioribus,

(1) S. Thom., *de spirit. creat.*, art. 11. Cfr. *Cosmolog.*, num. 308 seqq., pag. 1054 seqq.

(2) *Cosmolog.*, num. 339, pag. 1141 seqq.

non tamen tanta est ejus perfectio, ut excludat proprietates operativas realiter distinctas. Quod si non repugnant, sed possibles sunt ejusmodi potentiæ, quæ sint proprietates naturales animæ, asserendæ sunt de facto; ea siquidem est conditio proprietatum, ut non contingenter, sed necessario fluant a natura, nec possint ab illa abesse.

Dices. Potentiæ realiter distinctæ ab anima ex eo capite repugnant, quod supervacaneæ prorsus forent et otiosæ. Nam potest anima per seipsam absque præsidio potentialium accidentalium superadditarum omnes vitales operationes elicere, sicut in nostra sententia anima ipsa per se potentias quasi effundit e sua essentia instar proprietatum a natura dimanantium.—Resp. neg. assertum, quod si quid probat, æque probaret contra communes corporum vires ac virtutes, realiter a substantia distinctas. Si enim illæ non sunt otiosæ in corporibus, cur otiosæ erunt potentiæ vitales? nam in utrisque se habent proportionali modo. Argumentum factum æque probat virtutes illas generales corporum non esse admittendas; siquidem et de his posset dici, quod omnes eorum operationes immediate a substantia procedant sine ullis mediis potentiis, sicut ipsæ potentiæ a nobis dicuntur immediate a substantia dimanare. Et nihilominus quod potentiæ illæ atque activitates generales corporum otiosæ non sint, sed necessario admittendæ, solidissime probatum est in *Cosmologia* cum aliunde, tum ex mysterio Smæ. Eucharistiæ. Ergo donec aliud caput repugnantia certius afferatur; non sunt negandæ animæ potentiæ vitales realiter distinctæ. Ratio vero petita ex dimanatione potentialium ipsarum ab anima solvetur in objectionibus.

Alia argumenta plura reperimus in veteribus, quæ forte non tam clare rem probant; quædam eorum expendit, et rejicit Cardinalis Toletus (1).

Mens quorum-
dam SS. PP.
de potentialium
distinctione.

41. SCHOLIUM. Circa mentem Patrum hac in re solebant Scholastici disputare propter testimonia quædam in speciem, ac fortasse re etiam, opposita, quæ oportet hic paucis referre. Et in primis ea sententia refertur ex S. Isidoro Hispanensi: *Ita autem hæc omnia adjuncta sunt animæ, ut una res sit.*

(1) De Anim., lib. 2, quæst. 9, ante probationem primæ conclus.

Pro efficientis enim causarum diversa nomina sortita est anima. Nam et memoria mens est, unde et immemores amentes. Dum ergo vivificat corpus, anima est; dum vult, animus est; dum scit, mens est; dum recollit, memoria est; dum rectum judicat, ratio est; dum spirat, spiritus est; dum aliquid sentit, sensus est. Nam inde animus sensus dicitur pro his, quæ sentiit, unde et sententia nomen accepit (1). Quamquam conentur auctores quidam verba hæc explicare (2), mihi tamen valde difficilia explicatu videntur; nam S. Doctor sine ullis ambagibus scribit eandem rem esse animam, animum, spiritum, mentem, memoriam, rationem et sensum pro diverso quod exerceat, munere. Itaque crediderim S. Isidorum statuta propositioni adversari.

S. Augustinus: *Hæc igitur tria, inquit, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vite, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia... Quocirca tria hæc eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia* (3). Itemque: *Ipsa mens et amor et notitia ejus tria quædam sunt, et hæc tria unum sunt... Simul etiam admonemur, si utcumque videre possumus, hæc in anima existere, et tanquam involuta evolvi, ut sentiantur, et dinumerentur substantialiter, velut idem essentialiter, non tanquam in subjecto, ut calor aut figura in corpore... Quamobrem non amor et cognitio tanquam in subjecto insunt menti; sed substantialiter etiam ista sunt, sicut ipsa mens...* (4).—Hæc tamen loca ex mente S. Thomæ non videntur probare identitatem potentialium. Quod enim primum locum attinet, docet Aquinas, quod illa tria dicuntur (ab Augustino) una vita, una essentia vel secundum quod comparantur ad essentiam ut objectum, nempe quia ipsa substantia vel essentia animæ cognoscitur, et amatur (5), vel eo modo quo totum potentiale prædicatur de partibus (6). Sciendum namque est totum potentiale vel potestativum

(1) S. Isidor. *Etymologiar.*, lib. 11, cap. 1, num. 12 fin. et 13.

(2) Vide v. g. Sylvester. Mauri, op. cit. lib. 4, quæst. 30, ad 2.^{am}

(3) S. Augustinus, *de Trinitate*, lib. 10, cap. 11.

(4) S. Augustin. *ibid.*, lib. 9, cap. 4, num. 4 et 5.

(5) S. Thom., 1^a p., quæst. 77, art. 1, ad 1.^{am}

(6) S. Thom., quæst. *de spirit. creat.*, art. 11, ad 8.^{am}

quodammodo prædicari posse de singulis partibus ejus; est enim medium inter totum universale et solum integrale. Totum enim universale adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam et virtutem, ut animal homini et equo; et ideo proprie de singulis partibus prædicatur. Totum vero integrale non est in qualibet parte neque secundum totam essentiam neque secundum totam virtutem; et ideo nullo modo de singulis partibus prædicatur, sed aliquo modo, licet improprie, de omnibus simul, ut si dicamus, quod paries, lectum et fundamentum sunt domus. Totum vero potentiale adest singulis partibus secundum totam suam essentiam, sed non secundum totam virtutem. Et ideo quodammodo poterit prædicari de qualibet parte, sed non ita proprie sicut totum universale. Et per hunc modum Augustinus dicit, quod memoria, intelligentia et voluntas sunt animæ essentia (1), videlicet quia tota animæ essentia est in singulis hisce potentiis, licet non tota virtus, sed pars tantum.

In altero autem loco arbitrat Aquinas S. Augustinum loqui, non de potentiis ipsis, sed de actibus. *Quidquid dicitur, inquit, de potentiis animæ, tamen nullus unquam opinatur, nisi insanens, quod habitus et actus animæ sint ipsa ejus essentia. Manifestum autem est, quod notitia et amor, de quibus ibi Augustinus loquitur, non nominant potentias, sed actus aut habitus. Unde non intendit Augustinus dicere, quod notitia et amor sint ipsa essentia animæ: sed quod insint ei substantialiter vel essentialiter. Ad cujus intellectum sciendum est, quod Augustinus ibi loquitur de mente, secundum quod novit se, et amat se, sic igitur notitia et amor possunt comparari ad mentem, aut sicut ad amantem et cognoscentem, aut sicut ad amatam et cognitam; et hoc secundo modo loquitur hic Augustinus: ea enim ratione dicit notitiam et amorem substantialiter vel essentialiter in mente vel in anima existere, quia mens amat ipsam essentiam, vel substantiam novit, Unde postea, lib. IX, cap. XIII (cap. IV), subdit. Quomodo illa tria non sint ejusdem essentia, non video; cum mens ipsa se amet, atque ipsa se noverit (2). Cæterum quod S. Augustinus, cum negavit*

(1) S. Thom., 1^a p., quæst. 77, art. 1, ad 1.^{am}. Cfr. *Quodlib.* 10, art. 5; 1.^o dist. 3, quæst. 4, art. 2, ad 1.^{am}

(2) S. Thom., quæst. de spir. creat., art. 11, ad 1.^{am}

potentias esse in anima tamquam in subjecto, non intenderit præcisè probare potentias cum anima identificari, vel non esse proprietates físicas ejusdem, satis perspicuum est. Nam ratio, cur negat potentias esse in anima tamquam in subjecto, est quia quicquid tale est, non excedit subjectum, in quo est. Mens autem amore, quo se amat, potest amare et aliud præter se. Item non se solam cognoscit mens, sed et alia multa. Atqui hæc eadem ratio eodem modo urgeri posset ad excludendam identitatem potentiarum cum anima, hoc videlicet pacto: Nihil excedit seipsum. Atqui mens potest etiam et alia præter animam cognoscere, et voluntas amare. Ergo neque mens neque voluntas sunt ipsa substantia animæ (1). Ergo S. Augustinus in laudato loco non intendit potentias cum anima identificare. Sed tantum docere voluit eas non esse in anima illo modo, quo sunt in subjecto accidentia materialia penitus comprehensa a subjecto, et ad illud omnino circumscripta. Etenim potentiæ cognoscitivæ et appetitivæ (de his enim loquitur S. Augustinus), licet physice et in essendo solum sint in anima, intentionaliter tamen et in agendo se extendunt ad alia etiam cognoscenda et amanda, quemadmodum patet ex ipsis verbis S. Doctoris. Eam enim suæ assertionis reddidit rationem, quod si potentiæ essent in anima, sicut in subjecto, ut color vel figura, anima non posset aliud præter se cognoscere, et amare, cum tamen certum sit, animam, dum se intelligit, vel amat, posse etiam alia præter ea cognoscere, et amare. Quare S. Augustinus induxit hanc rationem, comparans notitiam et amorem ad mentem, non ut cognoscentem et amantem, sed ut ad cognitum et amatum; si enim secundum hanc habitudinem compararet ad ipsam, ut accidentia ad subjectum, sequeretur quod anima non cognosceret nisi se (2). Et in hoc sensu etiam potentiæ animæ dicuntur excedere suum subjectum, vel se extendere extra subjectum; non physice, quasi esse possint extra suum subjectum, nam sunt accidentia, sed intentionaliter, quia actus intentionalis ipsarum potest ferri extra

(1) Cfr. S. Thom., quæst. de spir. creat., art. 11, ad 16.^{am}

(2) S. Thomas, quæst. de Anim., art. 12, ad 5.^{am} Cr. 1 p., quæst. 77, art. 1, ad 5.^{am}

subjectum, cognoscendo et amando alia. Demum quod S. Augustinus noluerit quidpiam doctrinae nostrae contrarium exprimere, haud obscure colligitur etiam ex eodem opere, unde ista objecta sunt; nam cum Trinitatem Personarum in Deo explicare nititur per analogiam ad *mentem*, et *notitiam* et *dilectionem*, vel per *memoriam*, *intelligentiam* et *voluntatem*, talia dicit, quae probare videantur S. Doctorem non tenuisse realem potentiarum cum anima identitatem (1).

Solebant quoque a veteribus objici quaedam verba ex libro de *Spiritu et Anima* (2); sed quia liber ille non est S. Augustini, sed cujusdam alterius viri eruditi quidem, sed non tantae auctoritatis, necesse non est, ut in illius testimoniis explicandis immoremur.

Tertio loco difficultatem facit illa S. Bernardi sententia: *In anima tria intueor: rationem, voluntatem, memoriam, et haec tria ipsam animam esse* (3). Quae verba ita interpretatur Angelicus, ut posse dici arbitretur, quod *anima est suae potentiae vel suae vires, quia sunt naturales proprietates ejus... et est similis modus accendi, sicut si diceretur, quod calidam, lucidum et leve* (4) *sunt unus ignis* (5). Vel si mavis, dic cum Mauro, *rationem, voluntatem et memoriam, cum dicuntur esse ipsa anima, intelligi posse radicaliter sumptas.* «Sunt enim, inquit, eadem anima, in quantum eadem per intellectum intelligit, per voluntatem vult, per memoriam recordatur; at sunt tres, in quantum potentiae distinguuntur inter se» (6).

E converso doctrinam nostram satis perspicue tradidisse videtur S. Anselmus: *Sicut habemus in corpore membra et quinque sensus, singula ad suos usus apta, quibus quasi*

(1) Lege S. Augustinum, de *Trinit.*, lib. 15, cap. 6 fin., cap. 7 et cap. 20 fin., cap. 21 et 22.

(2) Vide S. Thom., de *spirit. creat.*, art. 11, arg. 2.^o, et ad 2.^{um}; de *Anim.*, artic. 12, arg. 1.^o et 2.^o, et ad 1.^{um} et 2.^{um}.

(3) S. Bernardus, serm. 11 in *Cantic.*, num. 5.

(4) Revoca in mentem id, quod in *Cosmologia*, (num. 377, pag. 1265) explicuimus, veteres elementum ignis existimasse levitatis proprietate praeditum.

(5) S. Thom., *Q. disp.*, quaest. de *Anima*, art. 12, ad 1.^{um}, 2.^{um}, 3.^{um} et 4.^{um}.

(6) Sylvester Mauri, *Quaest. philos.*, lib. 4, quaest. 30, ad 2.^{um}

instrumentis utimur, ut sunt manus aptae ad capiendum, pedes ad ambulandum, lingua ad loquendum, visus ad videndum; illa et anima habet in se quasdam vires, quibus utitur velut instrumentis ad usus congruos. Est namque ratio in anima, qua sicut suo instrumento utitur ad ratiocinandum, et voluntas, qua utitur ad volendum. Non enim est ratio vel voluntas tota anima, sed est unaquaeque aliquid in anima, etc. (1).

In favorem distinctionis realis solent quoque adduci ea verba S. Damasceni: *Sciendum est actionem et passionem, id est agendi vim et patiendi, sub qualitate contineri, agens vero et patiens substantiam quamdam esse* (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

42. *Objic. 1.^o* Anima communiter definitur a Scholasticis cum Aristotele *principium, quo vivimus, sentimus, movemur, et intelligimus.* Atqui potentiae pariter sunt ejusmodi principia. Ergo anima re non distinguitur a suis potentiis.

Resp. dist. Major. Anima est principium primum et radicale, quo vivimus, etc., *concl.*; Anima est proximum principium ejusmodi, excludens accidentales virtutes, quibus juvetur in operando, *neg.* (3).

Objic. 2.^o Anima est nobilior formis accidentalibus, quales sunt potentiae vitales a nobis assertae. Atqui potentiae hujusmodi seipsa operantur sine media aliqua virtute. Ergo etiam anima potest seipsa operari vitaliter, atque adeo supervacanae sunt potentiae distinctae. Item sicut est in materia prima potentia passiva seu receptiva, ita in forma substantiali, qualis est anima, est activa potentia. Atqui materia prima secum identificat passivam potentiam. Ergo et activa forma, atque adeo anima.

Resp. ad primum, dist. Major. Anima est nobilior potentis, et simul aequae proportionata ad operationes vitales

(1) S. Anselmus, de *Concordia praesentiae Dei cum libero arbitrio*, quaest. 3, cap. 11 (ad 21). Cfr. idem S. Doctor, de *Casu diaboli*, cap. 8.

(2) S. Damascenus, *Dialectica* cap. 53. Cfr. *ibid.*, cap. 51.

(3) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 77, art. 1, ad 4.^{um}

seipsa exercendas, *neg.*; non aëque proportionata, *conc.* Et concessa Minore, *neg.* conseq. Potentiæ namque penitus ad operandum ordinantur, et instituuntur, secus anima: ideo illæ, secus atque hæc, non indigent virtute alia superaddita, qua reddantur aptæ ad operationis actum. Et ratio desumitur ex primo propositionis argumento, quia nempe actus et potentia sunt in eodem genere. At substantia animæ atque actus operationis omnino accidentalis non sunt in eodem genere (1).

Et similis est solutio alterius difficultatis. Est enim eadem disparitas atque in præcedenti; quandoquidem materia prima cum sit incompleta substantia potest seipsa esse potentia ad esse substantiale, quod per formam adveniet. Anima vero cum sit substantia nequit esse seipsa proportionata ad esse accidentale operationis, et propterea eget virtute superaddita (2).

Objic. 3.^o Animæ vel repugnat sine potentiis distinctis agere ob perfectionem vel ob imperfectionem. Non ob perfectionem; quia Deus, qui summe perfectus est, per suam substantiam agit. Non ob imperfectionem, quia ipsæ potentiæ, quas nos volumus obtrudere, imperfectiores forent ipsa animæ substantia, et nihilominus seipsis operarentur. Ergo...

Resp. animæ repugnare ex ingenita imperfectione substantialitatis suæ. Nec valet instantia desumpta ex potentiis ipsis, quas nos dari contendimus, ut jam nuper notabamus. Quamvis enim illæ sint imperfectiores anima in ratione entitatis, habent tamen ex sua essentia esse potentias et instrumenta virtutesque operativas. Potentiæ namque dantur a natura non propter seipsas, sed ut enti, jam secundum suum esse completo, deserviant ad operandum. Sic etiam licet nulla substantia creata producat effectum nisi media actione, ipsa tamen actio immediate ac per se ipsam infert illum.

Objic. 4.^o Doctrina est S. Thomæ (3) ac communis, etiam in nostra opinione, ab una animæ essentia fluere per

(1) Vide S. Thom., 1.^o dist. 3, quest. 4, art. 2, corp., et ad 3.^{um}

(2) Vide S. Thom., 1 p., quest. 77, art. 1, ad 2.^{am}; 1.^o dist. 3, quest. 4, art. 2, ad 4.^{am}; de spiritali creat., art. 11, ad 15.^{um}

(3) 1 p., quest. 77, art. 6.

quamdam efficientiam, et active procedere potentias ejus. Atqui si potentiæ ita procedunt ab anima, nulla reddi ratio potest, cur non possint simili modo ipsi actus vitales immediate manare ab animæ substantia sine ulla potentiarum superadditarum necessitate.

Resp. *conc.* Major., *neg.* Minor. Non enim «valet argumentum: Potest aliquid per se ipsum efficere instrumentum: ergo potest per seipsum efficere opus talis instrumenti. Nam artifex potest per seipsum efficere serram, quæ est instrumentum secandi; et non potest per seipsum sine serra efficere operationem secandi. Similiter plura viva possunt per seipsa producere semen, quod est instrumentum generandi simile; at non possunt generare simile sine semine» (1). Vel dici etiam potest animam non esse causam principalem potentiarum ab ipsa dimanantium, sed tantum instrumentum causæ animæ ipsius (2); at e converso actuum vitalium est causa principalis. Quare efficientia potentiarum, et generatim proprietatum actualium, proprie non est attribuenda animæ vel naturæ illi, unde dimanant, sed externo agenti, a quo talis natura producitur. Ex eo ergo quod potentiæ fluant ab anima per efficientiam quamdam ejus, non necessario sequitur posse etiam similiter actus vitales procedere immediate ab anima sine ullis potentiis superadditis; nam potest dici illas effici per virtutem externi agentis, causæ nempe principalis.

Objic. 5.^o Forma simplex nequit esse subjectum alterius. Atqui anima, potissimum rationalis, est forma simplex et actus purus. Ergo nequit esse alterius subjectum. Atqui si potentiæ realiter distinguerentur, anima foret, vel ipsa sola vel simul cum corpore, subjectum illarum. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Si sit actus purus, *conc.*; si non sit actus purus, sed habeat admixtam potentialitatem receptivam alterius actus ac perfectionis accidentalis, *neg.* Similiter *dist.* Minor.: anima est actus purus, quatenus non habet in sua entitate compositionem ex materia et forma vel ex potentia et actu, *conc.*; quatenus respuat etiam quemcumque actum accidentalem, a quo ulterius perficiatur, *neg.* (3).

(1) P. Sylvest. Mauri, *Question. philos.*, lib. 4, quest. 30, ad 4.^{am}

(2) Vide *Ontolog.*, num. 323, pag. 927 seqq.

(3) Cfr. S. Thomas, 1 p., quest. 77, ad 6.^{am}

Objic. 6.^o Quod non est de essentia, est accidens. Atqui potentiae animae nequeunt esse accidens; quia secus contingenter inessent animae. Ergo sunt ipsa animae substantia.

Resp. *dist.* Major. Quod non est de essentia, est accidens, sive logicum, sive metaphysicum, quod etiam comprehendit proprietates rei, *conc.*; praecise logicum, *neg.* Tum *contradist.* Minor. Et simili modo *distinguo* primam probationem Minoris; siquidem potentiae sunt proprietates quaedam animae, ab ejus essentia necessario dimanantes.

Objic. 7.^o Accidens non est principium substantialis seu specificae differentiae. Sed sensibile et rationale sunt substantiales differentiae, et petuntur a sensu et ratione, quae sunt potentiae animae. Ergo potentiae animae non sunt accidentia (1).

Resp. *dist.* Major.: formaliter, *conc.*; arguitive, quatenus ex accidentibus nequeant nobis innotescere quodammodo differentiae rerum specificae ac substantiales, *neg.* *Distinguo* etiam Minor. Si sensibile et rationale sumantur substantive, quatenus expriment primum principium sentiendi et ratiocinandi, *conc.*; aliter, *neg.* Et similiter *dist.* rationem additam. Ista differentiae petuntur a sensu et ratione, si sumantur substantive, et prout expriment primum principium et radicem sentiendi et ratiocinandi, *neg.*; secus, *conc.* Etenim *rationale et sensibile*, inquit Angelicus, *prout sunt differentiae, non sumuntur a potentiis sensus et rationis, sed ab ipsa anima sensitiva et rationali. Quia tamen formae substantiales, quae secundum se sunt nobis ignotae, innotescunt per accidentia, nihil prohibet interdum accidentia loco differentiarum substantialium poni* (2). Et alibi: *Sensus, secundum quod est nomen potentiae, non est principium hujus differentiae, quae est sensibile, sed secundum quod nominat naturam sensitivam, et ita est de aliis* (3). Sciendum namque est *sensum* tripliciter accipi posse, 1.^o pro natura sensitiva seu animali, unde fluit virtus sentiendi; 2.^o pro potentia vel virtute hujusmodi, et 3.^o pro actu sensationis (4).

(1) Ap. S. Thom., 1 p., quest. 77, art. 1, arg. 7.

(2) 1 p., quest. 77, art. 1, ad 7.^{um}

(3) S. Thom., 1.^a dist. 3, quest. 4, art. 2, ad 5.^{um}

(4) S. Thom., 1 p., quest. 79, art. 1, ad 1.^{um}; *Quodlibeto* 7, art. 4; quest. de *Anim.*, art. 19, ad 5.^{um}

Objic. 8.^o «Idem est principium essendi et operandi. Sed anima est principium essendi, cum sit forma substantialis corporis. Ergo per seipsam est principium operationum: non oportet ergo potentias esse medias» (1)

Respondeo *dicendum, quod essentia ipsius animae est principium operandi, sed media virtute; principium autem essendi est immediate, quia esse non est accidens, sicut est operari* (2). Itaque *dist.* Major.: principium saltem remotum, *conc.*; proximum, *neg.*

Objic. 9.^o Si potentiae realiter distinguerentur, anima foret aliquid compositum. Atqui anima est simplex. Ergo... Item potentiae dicuntur partes animae. Ergo si inter se distinguuntur efficiunt totum aliquod reale.

Resp. ad primum, *dist.* Major. Si potentiae distinguerentur, anima foret aliquid compositum compositione accidentaliter ex substantia et accidente, *conc.*: compositione substantiali, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Ad alterum quoque argumentum *dist.* antec. Potentiae dicuntur partes potenciales vel potestativae, *conc.*: partes substantiales, sive essentiales sive integrales, *neg.* Et *dist.* conseq.: si potentiae realiter distinguuntur, efficiunt totum aliquod reale, quod sit unum per se ac substantiale, *neg.*; quod sit unum per accidens vel accidentale, *conc.*

Objic. 10. Forma substantialis perfectior potest continere in sua entitate modo eminentiori gradum alterius minus perfectae, sicut anima rationalis gradum animae sensitivae ac vegetativae. Ergo a fortiori poterit quavis forma substantialis vel anima in sua entitate continere eminentius virtutem quamvis accidentalem operativam.—Resp. *neg.* conseq., tum quia ut ex prima probatione propositionis colligitur, videtur repugnare creatae substantia, quae secum identificet virtutem effectivam ob improprietatem, quae adest inter actum accidentalem, qualis est operatio, et substantialem entitatem ad illum ponendum ordinatam (3); tum quia

(1) Apud S. Thom., 1.^a dist. 3, quest. 4, art. 2, argum. 2.^a

(2) S. Thom., *ibid.* ad 2.^{um}

(3) Cfr. Rubius, de *Anim.*, lib. 2, de *Potent. Anim.*, quest. 1, *dubium incidens.*

quidquid sit de absoluta possibilitate substantiæ creatæ, quæ per seipsam immediate absque potentiis superadditis operaretur, hæc certe anima, de qua disputamus, et qualis existit in diversis viventium generibus, non secum identificat virtutem vitalem, prout satis probatum reliquimus.

Objic. 11.^o Si potentiæ distinguerentur ab anima, tamquam physicæ proprietates ejusdem, possent ab illa separata divinitus conservari. Atqui hoc videtur repugnare. Et α) primo quidem ex parte ipsarum potentialium; tunc enim potentia visiva sic separata posset videre, et intellectus intelligere, ac voluntas velle. Atqui hoc aperte repugnat. Nam istæ operationes potentialium separatarum qualesnam tandem forent? Non transeuntes, quia potentiæ vitales prout tales operantur immanenter: non immanentes, quia operationes immanentes esse nequeunt illæ, quæ non manent in ipso primo principio operante. β) Deinde repugnat separatio potentialium ex parte animæ; nam anima potentiis suis privata viveret profecto, anima enim mortua non est anima. Quod si viveret, operationes aliquas vitales deberet elicere. Ergo anima illa sine potentiis vitalibus operari posset.

Resp. *trans.*, vel *conc.* Major., *neg.* Minor. Ad cuius probationem α) *neg.* Major. Ad probationem β) *dist.* Major.: Anima potentiis privata pergeret vivere vita substantiali, *conc.*; vita accidentali *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

In primis potuisset negari Major objectionis hujus, quæ conditionalis est, non necessariam habens extremorum illationem. Quamvis enim realis duorum separabilitas realem eorumdem distinctionem inferat, non tamen vicissim ex reali duorum distinctione sequitur necessario eorum separabilitas, saltem mutua, ut jam notatum fuit in *Ontologia* (1), et patet in modali distinctione aliisque exemplis. Ita ergo ex eo solum quod ponantur potentiæ realiter distinctæ, non sequitur necessario illarum separabilitas etiam per divinam virtutem ab anima. Quæ causa est, cur auctores realem distinctionem asserentes, in diversas abierint sententias: nam

Utrum possint
potentiæ
divinitus
separari ab
anima:

(1) *Ontolog.*, num. 105, pag. 320.

Capreolus (1), et Cajetanus (2), et Soncinas (3) negant posse proprietates separari a substantia, ut hæc sit sine illis, aut illæ sine hac. Verum longe communior et probabilior videtur contraria sententia tenens posse proprietates et potentias, divinitus separari a substantia: quam tuentur Ferrariensis (4), Dominicus Sotus (5), Bañez (6), Joannes a S. Thomæ (7), Martinez Prado (8), Collegium Complutense S. Thomæ (9), Suarez (10), Rubius (11), Conimbricenses (12) aliique. Ratio porro est, quia in primis si anima distincta est realiter a potentiis, non potest ostendi, undenam substantia illius tantopere pendeat a meris proprietatibus et accidentibus, ut nequeat sine illis existere. Præterea communissima est sententia docentium in anima hominis separata non amplius remanere formaliter potentias vegetativas et sensitivas, utpote quæ sunt actus organi. Ergo de facto rationalis anima quibusdam suis potentiis spoliatur: quid vetat, quod etiam omnibus divinitus spoliari queat, et quod aliæ quoque animæ inferiores similiter suis priventur? Cum potissimum passim videamus animalia cæca, vel aliis etiam potentiis orbata. Confirmatur auctoritate S. Thomæ, diserte concedentis posse substantiam divinitus esse sine accidentibus propriis (13). Quod vero etiam potentiæ possint divinitus ab anima separata conservari, probatur, quia cum non sint entitates pure modales, non apparet, cur nequeant existere separata,

affirmativa
sententia
eligitur.

- (1) 1.^o dist. 3, quest. 3.
 (2) In 1.^{um} part., quest. 54, art. 3.
 (3) *Metaphys.*, lib. 8, quest. 1, ad 4.^{um}
 (4) In lib. 4.^{um} *Contr. Gent.*, cap. 65, *Ad difficultatem tactam.*
 (5) *De proprio*, quest. 2, ad 5.^{um}, et in lib. 4.^{um} *Sententiar.* dist. 49, quest. 2, art. 5.
 (6) In 1.^{um} part., quest. 77, art. 1, dub. 1 ad 4.^{um} *conclus.* 1.^a
 (7) *De Anim.*, quest. 2, art. 2, in respons. ad 3.^{am} instantiam contra 1.^{am} conclusionem.
 (8) *De Anim.*, lib. 2, quest. 13, paragr. 6.
 (9) *De Anim.*, lib. 2, quest. 3, art. 1, num. 63, seqq.
 (10) *De Anim.*, lib. 2, cap. 1, num. 7.
 (11) *De Anim.*, lib. 2, *de Potentiis Anim.*, quest. 2.
 (12) *De Anim.*, lib. 2, cap. 3, quest. 4, art. 3, ad 4.^{um}
 (13) Vido 4.^{am} dist. 10, art. 2, solut. 3, ad 3.^{am} Cfr. 2.^a dist. 13, quest. 1, art. 4, ad 1.^{am} et ad 4.^{am}; 1 p., quest. 67, art. 4.

secundum generalem doctrinam de accidentium separabilitate in *Ontologia* propugnata (1). Idque confirmatur ex mysterio Eucharistiæ, in quo ut docent Scholastici cum S. Thoma, accidentia manent sine subjecto (2). Nimirum manet ibi quantitas, quæ proprietates est corporis; manent etiam qualitates sensibiles, et activitates propriæ panis et vini, quæ pariter sunt proprietates et potentiæ. Quare negandum non est, quod potentiæ proprietatesque separari possint ab anima.

Nec juvat opponere S. Thomam, cujus hæc est sententia: *Hac operatione intellectus (componentis et dividens, nempe iudicio) non potest intelligi substantia sine proprio: non enim potest intelligi, quod homo non sit visibilis, vel triangulus non habeat tres angulos duobus rectis æquales; hic enim est repugnans intellectuum, quia oppositum prædicati dependet ex natura subjecti* (3). Cum enim ex nuper relatis satis mens constet Angelici, probabilissima illico occurrit horum verborum interpretatio, nempe S. Doctorem ita locutum esse, spectata solum natura rerum; sic enim impossibile est esse substantiam sine proprietate, quamvis idipsum possibile sit spectata divina omnipotentia.

Potentia tamen
vitalis
separata non
possent vitaliter
operari.

Jam si quis quærat, utrum potentiæ vitales sic ab anima separatæ possent operari, sicut operantur v. g. in Eucharistia qualitates panis et vini; respondendum est cum communi sententia negative, quia vitalis operatio cum sit immanens, pendet intrinsece a primo principio vitæ, sine quo proinde nequit exerceri: quare non est paritas cum qualitatibus et potentiis operationum transeuntium elicivis (4). Denique quod animam ipsam suis potentiis orbatam spectat, ea certe mortua non foret, ut per se patet, sed viveret vita substantiali seu in actu primo, quamvis non viveret vita accidentali vel in actu secundo, propter defectum

- (1) Vide *Ontolog.*, num. 317, pag. 912 seqq.
 (2) Vide S. Thom., 3 p., quæst. 77, art. 2; 4.^a dist. 12, quæst. 1, art. 1 etc.
 (3) S. Thom., *de spirit. creatur.*, art. 11, ad 7.^{um} Cfr. quæst. *de Anim.*, art. 12, ad 7.^{um}
 (4) Fusius de his disputat Collegium Complutense S. Thomæ, *de Anim.*, lib. 2; quæst. 3, art. 1, num. 69.

potentiarum, donec hæc iterum, cessante miraculo, restituerentur (1).

Objic. 12.^o Anima vel concurrit immediate per suam substantiam ad actus vitales, vel mediate dumtaxat operando per virtutes superadditas. Si primum, inutiles sunt potentiæ superadditæ. Sin alterum, offenduntur gravissima incommoda. «Quia si anima non concurreret immediate ad actus vitales intelligendi, volendi, sentiendi, etc., perpetuo se haberet veluti dormiens, nihil omnino agens immediate, operantibus interim potentiis, quæ sunt famulæ et ministræ ipsius animæ: rursus se haberet veluti rex, qui constituisset ministros et gubernatores regni, ac deinde nihil ageret per seipsum, immo nec sciret, quid agerent ministri. Si enim anima non concurrit immediate ad actum intelligendi, per illum non intelligit, quia intelligere est aliquid immediate agere. Anima autem non debet se habere hoc pacto, sed potius debet præsidere corpori, sicut Deus præsidet mundo, concurrens immediate ad omnes actus vitales cum omnibus instrumentis, sicut Deus concurrit immediate ad omnes operationes cum causis secundis» (2).

Respondeo. Difficultas hæc cogit nos sequentem instituire disputationem. Huc etiam afferri possent quædam aliæ difficultates, quæ in proxime sequente articulo solventur.

ARTICULUS II.

Utrum anima ipsa etiam immediate per se influat in operationes vitales.

43. Inter eos, qui realem potentiarum ab anima distinctionem propugnant, existit non leve dissidium circa immediatum influxum ipsius animæ in actus potentiarum suarum.

(1) Quam ad rem faciunt hæc Aquinatis verba: *Cum potentia animæ sint naturales proprietates speciem consequentes, anima non potest (intellige naturaliter) sine his esse. Dato autem, quod sine his esset, adhuc tamen anima (loquitur de humana) diceretur secundum speciem suam intellectualis vel rationalis, non quia actu haberet has potentias (et consequenter nec actus vitales seu vitam in actu secundo), sed propter speciem talis essentialis, ex qua natæ sunt hujusmodi potentia fluere.* S. Thomas 1, 2, quæst. 110, art. 4 ad 4.^{um}

(2) Apud P. Sylvest. Mauri, loc. nup. cit. par. 6.^a, ubi plura.

Multi enim putant animam per suam substantiam immediate nullatenus concurrere ad operationes vitales, sed tantum mediate ac remote, quatenus sustentat, et radicatur potentias, quin ipsa virtutem ullam addat contradistinctam a virtute accidentali potentiarum: ita sentiunt S. Thomas (1), Joannes a S. Thoma (2), et generatim Thomistæ, quibus e nostra Societate consentiunt Rubius, Toletus, Conimbricenses (3), Suarez lusitanus (4) aliique. Verum alii e converso opinantur animam ipsam etiam immediate per suam substantiam vel substantialem aliquam virtutem influere in actus vitales, licet juvetur præterea potentiis realiter distinctis tamquam instrumentis ad agendum necessariis, ita ut secundum hanc opinionem adæquata virtus eliciens vitales actiones integretur ex virtute substantiali identificata cum anima et ex accidentali virtute potentiæ realiter ab anima distinctæ ab eaque dimanantis. Hæc opinio, quam tuentur multi e Nostratibus (5), respondet ut patet, tertiæ illi sententiæ, quam in *Cosmologia* retulimus, et refutavimus, circa immediatum influxum corporearum substantiarum in suos effectus (6). Itaque in hac etiam re primam sententiam S. Thomæ præferendam ducimus.

44. PROPOSITIO. Anima non influit immediate per seipsam in operationes vitales, sed solum mediis potentiis suis.

Probatur 1.^o Si anima ipsa immediate per virtutem quamdam substantialem secum identificatam operaretur, videntur prorsus infirmari argumenta præcipua, quibus realis potentiarum distinctio probatur. Ergo hac admissa distinctione,

(1) 1^a p., quæst. 77, artic. 1, ad 4.^{am}, et art. 3; 1.^a dist. 3, quæst. 4, art. 2 in corp., et ad 2.^{am}; Q⁹. disput., quæst. de Anim., art. 12, ad 9.^{am} et ad 10.^{am}

(2) Loc. cit.

(3) Locis citatis.

(4) De Anim., tract. 2, disp. 1, sect. 1.

(5) Ita v. g. Suarez (*Metaphys.* disp. 18, sect. 5, num. 2), Losada (*de Anim.*, disp. 4, cap. 1 et 3), et alii; ac ipse etiam P. Sylvester Mauri sequitur tamquam probabilem hanc sententiam (*Quæstiones philosophicæ*, lib. 4, quæst. 30, ad 4.^{am} et 5.^{am})

(6) Vide *Cosmologiam*, num. 365, pag. 1232, et num. 368, pag. 1235.

non possumus admittere immediatum ipsius animæ in operationes vitales concursum. Antecedens patebit expendenti argumenta in præcedenti articulo adducta. Unde fere omnibus illis æque probatur hæc propositio. E converso argumentis, quæ hic adversarii nostri urgent, ut immediatum animæ influxum evincant, iisdem utuntur plures potentiarum realiter distinctarum osores, ac nominatim Arriaga et Mayr, ad hoc ut probent animam secum identificare virtutem vitalium actuum productivam: ut vel ex hoc ipso appareat minus probabilem videri debere mediam istam opinionem, quam in hoc articulo excludimus.

Prob. 2.^o Ostensum est in *Cosmologia* (1), nullum esse argumentum, quod persuadeat immediatum influxum generatim corporeæ substantiæ in operationes sibi consentaneas. Atqui nulla suppetit urgens ratio, propter quam aliter sentiendum sit de anima respectu vitalium actuum. Ergo.

Minor probanda est solutione difficultatum, quibus adversarii conantur ostendere necessitatem immediati influxus. Et in primis nihil evincit difficultas postremo loco in præcedenti articulo objecta, cujus occasione præsens hæc quæstio instituta est. Etiam si enim anima solum operetur per virtutem accidentalem potentiarum, nequit ullatenus dici perpetuo dormire, vel otiosa esse: vivit enim, et operatur ope potentiarum, utpote quæ sunt instrumenta sibi a natura concessa ad vitam accidentalem exercendam. Nec enim potentiæ comparandæ sunt famulabus vel administris alicujus domine, nec gubernatoribus regni; quia non sunt supposita distincta, sed virtutes naturales suppositi viventis, quod ope illarum vere operatur ita, ut operationes non possint in illo vero sensu attribui potentiis ipsis, sed soli supposito. Unde falsum est in nostra sententia se habere animam instar regis, qui nesciat, quid per suos ministros geratur. Falsum quoque est animam reapse non intelligere, si ipsa per se intellectionem non eliciat, sed solum per potentias: undenam enim probant adversarii, quod intelligere importet actionem immediate ab ipsa animæ substantia exercitam? Verum videamus alia, quæ adversarii opponunt.

(1) *Cosmolog.*, num. 368, pag. 1235 seqq.

Anima non immediate influit per seipsam in operationes vitales.

Quædam difficultates solvæ.

45. **Objic. 1.^o** De ratione vitalium operationum est, quod anima vivat per illas. Atqui non potest anima per operationes vitales vivere, nisi eas per immediatum influxum exerceat.—**Resp. neg.** Minor. Vere enim anima vivere per operationes ope potentiarum elicita dicenda est, si vere illæ dici possunt ab anima immanenter procedere. Atqui operationes, ope vitalium potentiarum elicite vere immanenter ab anima procedunt, etiamsi non immediate ab ipsa efficiantur; quidquid enim ope naturalis instrumenti fit, ab ipsa natura ut principali causa fieri dicendum est.

Objic. 2.^o Actio vitalis essentialiter pendet ab anima, ideoque etiam nos docuimus superius, potentias ab anima divinitus separatas vitaliter operari non posse. Ergo immediate ab animæ substantia oritur. Prob. conseq. Nam nequit essentialiter pendere actio vitalis ab anima, si solum pendeat media potentia superaddita, a qua sola immediate efficiatur. Atqui si anima nullum per se immediatum influxum præbet in actionem vitalem, hæc re vera solum pendet media potentia. Ergo si actio vitalis essentialiter pendet ab anima, debet immediate ab ejus substantia procedere. Et probatur Major; quia nequit actio essentialiter ab anima dependere media potentia non essentialiter dependente ab anima. At potentia non dependet essentialiter ab anima, siquidem ab ea divinitus separari potest, ut nos ipsi concessimus. Ergo impossibile est actionem vitalem pendere essentialiter ab anima, si non ab eadem immediate eliciatur (1).

Resp. conc. antec. neg. conseq. Ad probationem *neg.* Major., ad cujus probationem *dist.* Major. Nequit actio essentialiter ab anima dependere media potentia non essentialiter dependente ab illa sive in essendo sive etiam in operando, *conc.*; media potentia, quæ non quidem essentialiter dependet ab anima in essendo, sed dependet tamen in vitaliter operando, *neg.* Et *contradiſtincta* Minor., *neg.* ultimum conseq. Actus vitales sunt immanentes, ideoque essentialiter postulant esse in eodem subjecto, a quo procedunt. Quoniam autem in qualibet sententia vere procedunt ab anima, a qua dimanant potentie, non possunt suam naturam actuum

(1) Vide Lossada, loc. cit., cap. 1, num. 2 et 3.

immanentium servare, si exercentur extra animam; et ideo dicuntur essentialiter pendere ab anima. Sive ergo adæquata virtus elicitive vitalium actuum sit accidentalis et propria potentiarum realiter distinctarum, ut nos contendimus, sive adæquata virtus compleatur ex substantiali animæ influxu immediato et accidentali potentiarum, semper verum esse debet actus vitales a potentiis separatis procedere non posse, sed essentialiter postulare, ut procedant ab iisdem animæ inhaerentibus, aliter enim impossibile est, ut dici vere possint ab anima procedere. Undenam porro probant adversarii non posse actus vitales procedere ab anima, immo essentialiter procedere ab anima, nisi ab eadem immediato et substantiali influxu eliciantur?

Instabis 1.^o Si actus vitalis non oritur immediate ab anima, sed a sola potentia, poterit hæc divinitus separata ab anima vitaliter operari. Nam dum adest tota virtus proxima ad effectum aliquem, etsi deficiat principium radicale et principale, produci potest effectus. Id probatur in primis exemplis Eucharistiæ, in qua potentie vel qualitates a substantia panis et vini separatæ pergunt operari, sicut cum substantie inhaerent; et caloris operantis extra suum connaturale subjectum v. g. in aqua; itemque seminis generationem efficientis etiam absente vel mortuo animali aut planta, unde decisum est. Probatur deinde ratione, quia principium radicale non immediate influens eatenus requiritur ad effectum, quatenus radicans virtutem proximam potentie facit eam existere (1).—**Resp. neg.** assertum et probationem illius *dist.* Dum adest tota virtus proxima ad effectum aliquem, etsi deficiat principium radicale, potest produci effectus, si sermo sit de actione transeunte, *conc.*; si sermo sit de actione immanente, *neg.* Exempla vero, quæ opponuntur, nihil evincunt: non primum et secundum, quia sunt de virtutibus actionum dumtaxat transeuntium productivis, et præterea secundum de virtute, quæ non est proprietas naturalis, sed accidens omnino contingens; non denique tertium, quia semen nequaquam est potentia a sua substantia separata, sed est germen habens virtutem productivam et evolutivam

(1) Vide Lossada, loc. cit. num. 4.

novi viventis impressam a parente, quod germen quo pacto producat novum vivens, alibi videndum erit. Ad rationem autem ultimo loco additam respondeo, quod principium radicale præcise radicando virtutem facit, ut quidquid ejusmodi virtutis efficacitate procedat, sit vere actus immanens; quia dum actus procedit a virtute vitali inhærente animæ, re vera est actus talis animæ tamquam principii radicalis et causæ principalis, ac proinde est actus immanens. Quia *hoc ipsum quod forma accidentalis (potentia vel virtus) est actionis principium, habet a forma substantiali; et ideo forma substantialis est primum actionis principium, sed non proximum* (1). Actus vero a potentia per miraculum separata productus, non posset ullatenus dici actus animæ.

Instabis 2.^o Potentia divinitus separata ob statum separationis non amisit quidpiam de sua virtute, quæ supponitur conservata a Deo. Ergo si unita animæ erat tota virtus operandi vitaliter, etiam separata poterit esse virtus ejusmodi, atque adeo poterit operari vitaliter (2).—**Resp. neg.** consequentiam, quia quamvis potentia separata totam suam virtutem conservet, non tamen servat suam immanentiam cum principio primo et radicali: quare actus illius jam non posset esse immanens, prout sunt cæteri actus vitales, quia non esset actus vere procedens a principio principali immanenti conjuncto cum potentia, virtus enim talis potentiæ jam non manat a natura sibi unita, sed flueret solum a causa externa, Deo. Ergo quamvis anima nullum immediatum influxum præstet ad operationes vitales præter virtutem potentiæ, fatendum est potentias ab anima actu dimanare, eidemque inhærerere debere, ut possint vitaliter operari.

Objic. 2.^o Si anima ipsa immediate non influeret v. g. in volitionem, sola voluntas esset tota virtus volendi, et cum hæc sit cæca, ferretur in ignotum. Atqui nihil ignotum potest esse objectum volitionis vel generatim appetitionis; tum quia *ignoti nulla cupido*; tum quia nequit appeti, quod non movet appetitum, nequit autem appetitum movere id quod non est appetitui præsens intentionaliter per cognitionem.

(1) S. Thom., 1^a p., quæst. 77, art. 1, ad 4.^{am}

(2) Lossada, loc. cit. num. 6.

Ergo ut voluntas possit quidpiam appetere, necesse est dicere quod eadem virtus volendi cognoscere debeat objectum appetendum. Cumque virtus accidentalis potentiæ volitivæ sit distincta a virtute accidentali cognoscitiva; restat ut dicamus præter ejusmodi virtutes potentiæ accidentalium admittendum esse immediatum aliquem concursum ipsius animæ vel virtutem substantialem identificatam cum anima, quæ concurrat una cum potentiis ad diversas operationes, intelligendo, volendo, etc. (1).

Resp. conc. primum membrum Majoris, alterum *dist.* Voluntas ferretur in ignotum ab ipsa, *conc.*; in ignotum ab anima, quæ reapse vult volitione exercita per virtutem voluntatis, sicut prius intelligit intellectione elicitam per virtutem intellectus, *neg.*, Et *contradist.* Minore, *neg.* consequ. Adversarii nostri videntur concipere potentias animæ secundum nostram sententiam esse instar totidem suppositorum: quod si verum foret, esset certe maximum incommodum in eo positum, quod voluntas cum sit appetitus elicitus et rationalis, in objectum ipsi adæquatæ virtuti volendi penitus ignotum ferretur. Verum non ita se res habet; sed potentiæ sunt instrumenta ipsa natura indita animæ vel potius supposito viventi, ut consentaneas sibi operationes eliciat: unde singulæ potentiæ non sibi solis operantur, sed animæ totique supposito, et consequenter etiam cæteris potentiis. *Sicut in membris corporalibus quodlibet operatur non sibi soli, sed toti corpori, ut oculus videt toti corpori, ita etiam est in potentiis animæ. Nam intellectus intelligit non solum sibi, sed omnibus potentiis; et voluntas vult non solum sibi, sed omnibus potentiis* (2). Cum ergo potentiæ istæ realiter distinguantur, et inter se et ab anima, ut satis probatum manet in præcedenti articulo, putandum est animam per intellectionem vel cognitionem sola virtute potentiæ accidentalis absque ullo alio immediato suo influxu elicitam satis determinatam esse, ut exinde possit volitionem vel appetitionem objecti sic cogniti efficere ope voluntatis. Omnino enim verum est in nostra sententia, quod unum idemque sit subjectum et

(1) Cfr. Lossada, loc. cit. num. 8 et alii passim.

(2) S. Thomas, 1-2, quæst. 17, art. 5, ad 2.^{am}

principium primum ac radicale omnes operationes vitales eliciens; non est autem necesse præterea admittere, donec efficacius ab adversariis probetur, unam aliquam virtutem substantialem animæ, quæ simul cum accidentali potentia intelligat, eademque cum voluntate velit, cum potentia videndi videat, etc. *Ratio ergo adversariorum procederet (concludere liceat nobis cum S. Thoma in alia materia simili), si voluntas et intellectus, sicut sunt diversa potentia, ita etiam subjecto differrent, sic enim quod est in voluntate, esset absens ab intellectu (vel vicissim secundum objectam nobis difficultatem). Nunc autem cum utrumque radicetur in una substantia animæ, et unum sit quodammodo principium alterius, consequens est, ut id quod est in voluntate, sit etiam quodammodo in intellectu (1), vel vicissim.*

Instabis. Nisi admittatur virtus substantialis et influxus immediatus animæ in operationes vitales, non intelligitur, quo pacto post cognitionem boni possit sequi ejusdem appetitio: si enim nulla virtus communis agnoscitur, quæ intellectionem et postea volitionem efficere possit, sed hæ operationes, sicut aliæ quævis, mediis potentiis distinctis perficiantur, haud facile sane concipitur, qua via post intellectionem ab alia potentia et virtute profectam, voluntas tandem determinetur ad suum appetitionis actum ponendum.

Respondeo 1.^o in primis difficultatem istam jure merito solum ab iis opponi nobis posse, qui non admittunt ulla potentias vitales realiter ab anima distinctas. Nam tota vi retorquetur in eos etiam, qui præter potentias realiter distinctas omnino requirunt immediatum ipsius animæ influxum. Sane in horum quoque sententia remanet explicandum, quo pacto post intellectionem ab intellectu simul cum virtute substantiali animæ elicita, voluntas determinetur ad cooperandum cum eadem illa virtute substantiali animæ ad appetendum bonum cognitum; cum enim voluntas, sicut etiam intellectus, sit potentia realiter distincta ab anima, atque adeo a virtute substantiali ejus, indiget sua determinatione ad operandum et ponendum hic et nunc influxum illum suum, sine quo solus influxus immediatus

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 87, art. 4, ad 1.^{um}

animæ vel virtutis substantialis nequit quidpiam velle vel appetere. Quæ difficultas etiam inest in aliis actibus animæ explicandis, ac nominatim in actu intellectus agentis ad præsentiam phantasmatis: Itaque argumentum propositum non minus solvendum est iis, quos in hoc articulo adversarios habemus: immo vero etiam iis ipsis, qui nolunt admittere realem distinctionem potentiarum aliquo modo solvendum est, ut mox videbimus. **Respondeo ergo 2.^o** multos rem istam exponere dicentes posita unius potentie operatione aliam quoque, cum nature suppositi consonum est, ut operetur, determinari ad operandum per *sympatiam* quamdam. Sunt etiam qui prædictam determinationem fieri velint per physicam quamdam qualitatem potentie impressam. Sed prior modus verisimilior videtur: resque in hunc modum declarari potest. In primis supponamus potentias animæ re non differre ab illa, vel supponamus saltema nimam immediate per substantialem suam virtutem simul cum potentiis realiter distinctis vitales actus efficere: quomodo, quæso, in utraque istarum duarum sententiarum explicaretur phænomenum, quod omnes experimur, spontanei transitus animæ ab uno actu vitali in alium specificè distinctum: nempe quomodo posita cognitione sensitiva determinatur anima ad cognitionem intellectivam ejusdem rei? quomodo posita operatione imaginationis illico adest operatio intellectus agentis, abstrahens speciem intelligibilem a phantasmate? quomodo posita cognitione boni sequitur appetitio ejusdem? quomodo in multiformi phænomeno vegetationis peragitur ordinatissima series plurium actionum, aliarum post alias, usque ad assimilationem et unionem nutrimenti penitus transformati cum organismo viventis? Quoniam omnes istæ operationes consentaneæ sunt nature viventis, procul dubio dicendum erit, secundum illas duas sententias, animam ipsam ex ingenita sibi indole determinatam esse ad illas eo perendas ordine. Simile quiddam dicimus nos in nostra sententia, videlicet posita operatione phantasie, quam anima eliciat ope solius virtutis accidentalis, determinata est natura sua, ut ope solius virtutis accidentalis intellectus agentis, abstrahat speciem intelligibilem, eamque imprimat intellectui possibili, ac demum intelligat:

Quomodo
potentiæ diversæ
determinentur
ad vitaliter
operandum.

vel si mavis aliter loqui, dic ad praesentiam phantasmatis intellectum agentem determinatum esse ad abstrahendam speciem, intellectum vero possibilem ad intelligendum per quamdam naturalem sympathiam vel necessitatem vel *vicissitudinem* operandi, vel quoquo modo velis illam appellare. Et simili modo posita cognitione boni, in animali quidem illico etiam appetitus determinatus est ad appetendum illud, in homine autem, quoniam liber est, voluntas habet quantum sufficit, ut possit pro libitu amplecti vel respuere bonum ab intellectu apprehensum. Vides ergo ad explicandum, quomodo post boni cognitionem sequi possit ejusdem appetitio, necesse non esse ponere immediatum animae concursum in operationes vitales.

Objic. 3.^o Experientia notum est id, quod ad probandam unitatem animae in homine affert S. Thomas, nimirum *quod una operatio animae cum fuerit intensa, impedit aliam: quod nullo modo contingeret, nisi principium activum esset per essentiam unum* (1). Atqui ex hoc phaenomeno aequè concluditur unitas et identitas omnium potentiarum vitalium, vel certe concursus immediatus animae per virtutem substantialem cum ipsa identificatam ad omnes prorsus operationes vitales. Nam si datur una virtus ejusmodi ad omnes actus concurrens, facile intelligitur unam intensiorem operationem animae impedire alias, quia ubi una datur virtus, quo magis impenditur in unam operationem, eo minus vigebit ad alias exercendas; non autem intelligitur, quomodo id accidat, ubi sunt plures potentiae realiter distinctae, quae sint aequata virtus singulorum actuum vitalium; nam ejusmodi potentiae perenniter fluunt ab anima, ac proinde singulae aequè vigent ad suum proprium finem attingendum, sive aliae exercentur, sive non exercentur, sive magis aut minus exercentur.

Resp. neg. Minor. et alteram partem probationis. Nam si plures potentiae radidentur, ut vere radicanter in eodem principio primo, nempe anima, cujus sunt proprietates, jam satis intelligitur intensius exercitium unius potentiae posse ita animam afficere, ut consequenter caeterae potentiae ab

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 76, art. 3.

illa dimanantes, totumque suum vigorem participantes, accidentaliter varientur.

Objic. 4.^o Anima est certe vita substantialis. Ergo debet habere aliquam actionem vitalem. Sed nullam reapse habet, nisi concurrat immediate, sed solum operetur mediis potentiis accidentalibus. Ergo...

Resp. neg. Minorem subsumptam. Omnis enim vita vel est substantialis et in actu primo, vel accidentalis et in actu secundo: vita substantialis confunditur, ut alibi diximus, cum ipso esse ac natura viventis, vita vero accidentalis consistit in operationibus vitae substantiali cujusque viventis consentaneis, quae quidem accidentia sunt, et potentiis dumtaxat accidentalibus exerceri arbitramur, donec contrarium nobis ostendat adversarii.

Objic. 5.^o Nemo vivit nisi per actionem suam immediatam. Nam ideo Verbum divinum non vivit per actiones humanitatis, quia illas non elicit immediate. Atqui anima certissime vivit per suas vitales operationes. Ergo illas immediato suo influxu et concursu exercet.—Resp. dist. Major. Nemo vivit nisi per actionem, quam immediate elicit, tamquam subjectum vel principium *quod, conc.*: tamquam principium *quo, neg.* Ratio vero adjecta falsa est, nec valet quidpiam: quia Verbum divinum gaudet vita divina, cujus certe principium *quo* nequit esse natura humana. Itaque licet actus vitales humanitatis Christi Domini sint Verbi divini, quia non est in Christo aliud suppositum, tamen non sunt vitales respectu Verbi, quia Verbum est dumtaxat principium *quod* illarum, omnino indebitum et non postulatam a tali natura. E converso actiones cujuscumque alterius humanitatis respectu proprii suppositi sunt vitales illi, quia sunt actiones propriae naturae illius suppositi, quod omnino debitum et intrinsecum ac naturale est tali humanitati. Unde ratio, cur actiones humanitatis Christi Domini non sint vitales respectu Verbi divini, non est ea, quam assignat objectio. Illud etiam addi potest, supposita reali, quam in *Ontologia* propugnativimus, distinctione subsistentiae a natura, rationem suppositi non esse virtutem operativam, ideoque suppositum formaliter qua tale non influere immediate per modum virtutis, seu instar principii *quo*, sed tantum per